NONNULLA DE RECENTIORIBUS ACUPUNCTURAE ADPLICATIONIBUS QUAE AD...

Pietro Pastori

NONNULLA

DE

RECENTIORIBUS ACUPUNCTURAE
APPLICATIONIBUS

QUAE

AD MEDICINAE LAUREAM

IN CELEBERRIMO ARCHIGYMNASIO PATAVINO

ASSEQUENDAM

EXHIBET

PETRUS PASTORI

VENETUS.

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXLI.

סת'

DVLCISSIMI PATRIS

MEMORIAE

HOC PRIMVM IVVENTVTIS MEAE

OPVS

IN PIETATIS ARGVMENTVM

CONSECRO

PATER MI

HODIE MIHI DE CAELO

SVBRIDEAS

ET PVLCHRIOR PER TE FIET

LAVRVS

QVA

TEMPORA MEA HONESTANTVR

» Io non ho troppo accarezzata l'agopuntura nella prospera fortuna, nè abbandonata nell'umile ». V. Ribeir G. delle scienze mediche di Torino. T. VIII. fasc. di Mag. p. 24.

Praestatio illa chirurgica, qnae in uno pluribusve acubus in diversas corporis partes figendis ad quosdam morbos levandos sanandosve consistit, acupunctura appellatur. Modus hic nonnullas affectiones tum chronicas, tum acutas tractandi ignotus veteribus fuit. Apud Graecos, Latinos et Arabes nullam ejusdem mentionem factam reperio: cujus primas notiones in Sina atque in Japonia tantnm habemus. Kaempfer quidam batavus chirnrgus ab iis regionibus anno 1792 in Enropam reversus primus Londini Memoriam de acnpunctura edidissa dicitur, qua usos ait Sinenses, unde ad Japonenses postea pertransiit. Hanc autem medendi rationem fera in qualibet forma morbi Asiae incolae adhibent; quin immo ejnsmodi est, quae simul cum moxa integram illorum popnlorum therapiam efficit, utpote qui unam omnibus, cujuscnmque generis morbis tribuere genesim solent. Eos enim omnes a quibusdam *gas* seu vaporibus, qui in corporis cavitate evolvuntur, oriri existimant. In quam opinionem experientia adducuntur; compertum enim habent plerosque quadam colica laborare, in iisque praesertim indigenas illos qni siceram iis in regionibus praeparatam frigidam bibunt. Hujus autem colicae, quam *senki* vocant, praecipuum symptoma est meteorismus. Quapropter contendunt unum pluresve acus passim in cor-

pus introducendos esse, quibus moveantur vapores facilique via excludantur. Quod si hujusmodi puncturae eos dissipare non satis sint, moxa adhibetur, qua ad exteriorem corporis partem revocentur destruanturque. Hinc fit, ut omnibus morbis, ceteroquin omnino inter se diversis ac indeterminatis, eam curationis methodum applicent, cui miros effectus atque incredibiles tribuunt. Duae hominum classes, quae nostris medicis chirurgisque nostris respondent, in Asia acupuncturam exercent. Primi generis homines morbum dignoscunt, regionem determinant, lineas ducunt et ea corporis notant puncta, quae debent perforari, ipsam autem actionem perforandi homines alterius generis perficiunt.

Quomodocumque tamen res sese habeat, omnes praecisis anatomicis cognitionibus carent, puncturas casu fere semper instituunt, quamquam periculosas aut saltem inefficaces articulationum puncturas putent, propterea quia nimis reconditi in capsulis articularibus sint illi vapores quibus cujuslibet morbi, ut innuimus, causam adscribunt; dum e contra in abdomen usque ad uterum acus non reformidant infigere, vel ut fetus nimium violentos motus comprimant, vel ut certiores fiant num vivus an mortuus in cavitate uterina fetus existat. Sunt qui putent acus pro lubitu figi posse in quaecumque velint parte dimidii illius spatii quod inter umbilicum et cordis scrobiculum comprehenditur, menstruo colorante hanc regionem notantes. Hinc nonnullas lineas ducunt vario modo directas, in quibus aliqua puncta viridis aut rubicundi coloris signantur, quibus vel moxa, vel acus, vel utraque methodus applicetur. Si autem hujusmodi me-

dicamen ad morbos in corporis extremitate curandos adhibendum sit, alia linea, quae juxta truncum ducitur, punctorum directionem notet, quibus et locus et remedii qualitas indicatur. Varia est tamen linearum directio, sed plerumque a diverso puncto procedunt, duos vel tres pollices inter se distant, et in qualibet linea duo vel plura usque ad sex puncta viridia et rubicunda signantur, quae aliquas lineas, ut superius diximus, distant.

In Asia ad hujusmodi operationem perficiendam finissimo acu auri argentive, vel etiam interdum ligni durioris utuntur. Acus ipsos vel per puncturam, vel per rotationem, aut percussionem ope digiti, vel parvi mallei configunt, eosque inibi confictos relinquunt aliquorum minutorum spatio. Japonenses duplicis generis acus adhibere solent, quorum alii simplices, alii in quadam vagina inserti sunt, quae manubrii vicem gerit, et indicat quonsque introducendi sint. Ibi tamen nonnisi a peritioribus viris adhiberi solent, quippe qui in profundioribus delicatioribusque regionibus configendi sunt; ceteris vel ex infima plebe homines utuntur, qui eam professionem exercent. Haec omnia de acupunctura jam ab anno 1792 Kaempfer nos docet, a quo tempore oblivioni penitus data est, ita ut nonnulli arbitrati sint eam inventoribus suis omnino relinquendam esse.

At Dujardin et Vihq-d'Azyr inter Europae incolas acupuncturam in medium tulerunt, prior in sua chirurgiae historia, alter contendens acupunctura spasmos superari, infirmatamque sensibilitatem restitui, jure inter irritantia ac stimulantia remedia recensenda.

Duplex deinde acupuncturae efficacitas, medica scilicet et chirurgica, haberi coepta est. Nonnulli dolnerunt summam facilitatem, qua medici et chirurgi hujus novi remedii virtutem efferre, eamque veluti prodigiosam habere ausi sunt, cumque eam nonnullis in casibus inutilem comperissent, eadem facilitate pro nihilo extraordinariam ejus actionem putarunt ac repudiarunt omnino. Nos autem qui acupuncturam nec omnibus in deliciis habendam, nec prorsus rejiciendam ducimus, ea tantum facta, principia et deductionem in medium proferre contenti erimus, quas hac nuper re a magni nominis viris editas fuisse novimus. Fridericus Berlioz subtilissimum acum in cor canis infixit et innocuum extraxit. Bretouneau acus nonnullos in cerebrum et cerebellum granaceorum introduxit, quin ipsa dolore aliquo afficerentur. Cloquet insuper in omnes corporis cavitates acus compulit, qui in textus nobiliores cordis, in majoris diametri arterias, in medullam spinalem, in praecipuos nervos, in pulmonem atque in ventriculum impune penetrarunt. Alii in periculosioribus morbis, quibus nostra vita saepius affligitur, quosque medica ars superare minime potest, ad acupuncturam confugiunt. Nevralgiae, dolores qui phlogosim aut laesiones traumaticas comitantur, adfectiones rheumaticae et convulsivae, paralyses, ophthalmiae, amauroses aliaque hujus generis mala acupunctura curantur. Hinc fit, ut sustineri facilius queant illi dolores, qui a chronicis morbis procedunt. (V. Bibliothèque therapeutique. Paris 1820 T. I. p. 802). Portal acupunctura in duobus casibus mydriasis cum caecitate, Pipelet in convulsionibus chronicis, Pajet

et alii in nonnullis partialis paralysis casibus, sicuti in trismo. Cloquet in chronicis ophthalmiis inque iis adfectionibus, quae oriuntur ab organicis cordis laesionibus, experti sunt. Leroy d'Étiolles docet aliquo modo mutandam esse extremam curae methodum in asphyxia, quam Carranus et Beclard proponunt, asserentes satius esse acum vel in cordis profunditatem infigere, quam ceteris artis medicae auxiliis frustra tentatis asphyxum pro mortuo relinquere. Opportunum itaque ducimus methodum a L. d'Étiolles propositam referre, licet nullam eidem fidem habeamus, eamdemque tentari impune nequaquam posse arbitremur. Ille igitur nonnullos acus in dorsum proprieque in insertiones diaphragmaticas, haud nimis tamen profunda introducendos, ait, qui cum pila voltiana communicent, ut ita et musculi contractio et inspiratio artificialis obtineri possit. Quamquam hujusmodi methodus et rationi magis consentanea et minus periculi plena videatur, propterea que methodo illi a Beclard et Carrano propositae marito anteferenda; opinamur tamen continuam pilae actionem diaphragmaticas contractiones producturam esse valde confusas, ideoque arbitramur contactum arcendum postquam contractio locum habuerit, aptis pressionibus in pectore procurandam expirationem, renovandum ad habendas expirationes contactum, atque tali pacto artificialem respirationem instituendam esse, maximo hujusmodi in casibus emolumento futuram. Quod ut fiat, alter ex conductoribus applicari nonnullis acubus simul conjunctis debet, alter aliis acubus procul dispositis, vel manu ab aegro teneri.

Nec abs re puto methodum a doctore Cervellini adhibitam in paroplegia curanda referre. Narrat ille cujusdam juvenis militis historiam a sexto jam mense paraplegiaci post apoplexiam ab abusu vini productam, cui, praeter cetera inania remedia, galvanismum simul cum acupunctura prospere applicuit. In tres diversas corporis partes acus infixi sunt, duo inter scapulas paralleli obliqua directione in musculos its introducti, ut tertia eorum para exterius appareret; duo alii inter lumbos et sacrum, ita tamen, ut interna appareret eorum extremitas, duo tandem in coxendicem sub trocanteres ex parte interiore compulsi juxta plexus iscbiatici directionem. Praeter istud exemplum semestris paraplegiae, in qua omnis sensus prorsus defecerat per galvanismum cum acupunctura conjunctum, tali facto sanatae nonnulla insuper addit ad rem comprobandam exempla, quae prosperum exitum itidem habuerunt (V. De galvanismi acupuncturae conjunctae nonnullis in nervorum morbis praestantia, Epistola ad D. Eu0kbine, auctore G. Cervellini. Neapoli 1858 ex typogr. Soc. typogr.).

Nisi limites dissertationi inaugurali praescripti impedimento mihi essent, possem historias a cel. prof. Riberi narratas in medium afferre, quas de repetitis acupuncturis pedi adplicitis ad nevropathiam curandam mentionem faciunt, nec non de una acupunctura, quae tres integras horas perduravit, quaque violenta nevralgia sacrolumbaris quasi miraculo quodam sanata est. Nec minoris momenti autumo illius adolescentulae historiam, cui per venae sectionem intolerabili cum dolore ac tremore brachium automatice fle-

xum est. Cum nulla methodus curationis posset tantam calamitatem avertere, ad leniendos dolores belladonna et hyoscyamus interne, externe autem acidum prussicum infirmae parti applicitum fuit. Sed nevralgia evanuit omnino, ita ut perlevis tantum inertia in membro affecto remanserit per acupuncturam juxta nervi mediani directionem, nulla in sedibus jam punctis repetita amplius operatione, eodemque statim die coepit aegrota brachium movere. Sed et ipse professor Riberi alios casus ischiadis enumerat per acupuncturam sanatos, quos inter memoratu dignus ille est, quo aegrotus, cui bis ipse medicus acupuncturam applicuerat, per se posthac medico absente in pristinam valetudinem restitutus est, operatione bis et decies repetita. Qua de re legere insuper est casus quintum et sextum narratos in Ephemeride scientiarum medicarum (Taurini T. VIII. fasc. Maji pag. 24.). Quibus hactenus recensitis alia etiam facta adjungi possent, si acupunctura praedictis in affectionibus omnibus cum utilitate locum haberet. Unde deducimus nihil impedimento esse, quominus nova pericula acupunctura fiant, quae etiamsi momentaneo precarioque emolumento aliquibus in casibus sint, non ea sunt tamen, quae maximam perniciem possint afferre.

Comparatione instituta utilitatem, quae ab acupunctura in Sina atque in Japonia adhibita oriuntur cum iis, quae in Europa ab eadem habentur, non mihi nimiae videntur eae laudes, quibus illarum regionum incolae acupuncturam extollunt. Quid ni a mala pharmaci applicatione tam diversi effectus oriantur? Restat igitur, ut attenti medicae artis cultores modum, quo acu-

punctura agit, investigent, morbos dignoscant, quibus sanandis futura sit utilis, methodum doceant qua in ea adhibenda utandum sit.

Vikq-d'Azyr, Meyran, Broussais contenderunt modum, quo acupunctura operatur, esse revulsionem; sed in hujusmodi revulsione nescio quid particulare inest toto caelo diversum a modo, quo agunt vesicautes, moxa et caustica. Alii ejus effectus electricitati tribuere non dubitarunt; at cum acus, quacumque materia constet, auro, argento, chalybe, vel ligno, semper eosdem gignat effectus, haec opinio admodum incertia videtur fundamentis inniti. Hanc tamen opinionem sequuntur ii praesertim, qui circulationem quamdam sui generis in nervoso systemate admittunt, quique celerrimum acupuncturae effectum in auferendis doloribus uorunt, toties a Pipelet, Pujet, Cloquet aliisque mire laudatum. Est igitur in acupunctura actio quaedam particularis. quam incsse quidem in ipsa recentiores omnes consentiunt, cujusmodi tamen sit, explicare minime sciunt.

Hoc posito, ad alteram quaestionis partem veniamus. Quinam est dynamicus genius morborum in quem magis valuit acupunctura? et quaenam praecipue sunt morbi formae, in quibus curandis eadem utilior comperta est? Opinantur recentiores adfectiones, quibus cum utilitate acupunctura applicatur, illas esse, quae genii arectilis et hypersthenici sunt, illas videlicet quae stimulis exacerbantur saeviuntque, quaeque debilitantibus mitigantur. Cur hoc crederent, in causa fuerunt facta nuper a prof. Riberi atque ab aliis auctoribus plurimis in lucem prolata. Idem ipse professor eam utilem comperit in nevralgiis, quae

sint genii erectilis et inflammatorium processum non palam faciant, in adfectionibus dolorificis cum phlogosi simul conjunctis, quae tamen nondum ad organicos exitus migraverint; immo et in doloribus, qui adfectiones traumaticas comitantur dummodo tamen prius reactio febrilis mitigata fuerit. Adde quod ea quibusdam raris in casibus levatos asseruit ipsos dolores a podagrae accessibus ortos, nec non morbos etiam cancerosos; licet ipse admodum breve istiusmodi levamen fuisse inficias non eat. Uno verbo, ea est omnium practicorum de acupunctura sententia, facilius per eam superari illas affectiones quarum praecipua symptomata sunt dolor et systematis nervei alteratio.

Ad methodum tandem quod attinet, qua hujusmodi actus chirurgicus ad effectum perducitur, ea duplex est, vel enim simplex acupunctura adhibetur, vel cum electricitate conjungitur. In acupunctura simplici acus communes requiruntur, non breviores pollice atque dimidio, nec quatuor pollicibus longiores. Ii qui ex chalybe sunt, aureis et argenteis praeferri soleut. Caput aciei oppositum munitur subere, quo facilius manu versari possint, quique, ne acus plus aequo in corpus introducantur, impedimento est. Cutis pollice et indice sinistrae manus extenditur; dextra autem acum adinstar scriptorii calami primis tribus digitis capit, eumque in integumenta inserit; deinde motu rotatorio inter digitos facto in textum subcutaneum et musculare introducit. In regione acu puncta aliquo temporis intervallo duobus, tribus, interdum etiam quatuor horis acus remanet; Cloquet illum per plures dies eodem in loco reliquit. Proximus huic alter eodem modo

qui nonnullas distet lineas, inseritur; deinde tertius quartusve acus pro morbi natura, loco atque extensione. Interdum plures acus simul conjuncti opus fuerunt, interdum unus et alter fuerunt satis. Regio acu puncta a vestium contactu et attritu reparari debet. Altera die, seu malis aliquot diebus post, si utilitati fore speratur, repeti potest operatio; ex ea enim, quotiescumque ratione duce praestita sit, nihil mali proveniet. Practici prudentiores prohibent, ne nobiliores partes corporis perforentur; quamquam Beclard, Megran, Bretonneau et alii futilem ac nimiam hujusmodi praecautionem affirment. Hoc autem cavendum est, ne acus in extractione rumpantur, qui extrahendi sunt propterea juxta eam directionem, secundum quam confixi antea fuerunt. Cum aute tum post operationem poliendi sunt acus, eo quod facile oxydantur. Illo ipso, quo introducitur acus, temporis momento aeger levem puncturam eamque saepenumero non animadversam, caloris, fastidii sensum, interdum etiam dolores acutissimos patitur. Sed post acupuncturam, etiamsi debito modo maximeque cum cura instituatur, tremores, subsultus, lipothymiae, syncopes locum habent, quae brevi tamen leniuntur, quin ullum tristem effectum pariant. Tamen Salag nevralgiae facialis mentionem facit, quae profundam acupuncturam sequuta est ad nonnullorum musculorum in vultu paralysim superandam, et Cloquet cum temporalem arteriam pupugisset, parvum sanguineum tumorem enasci inde miratus est, qui per levem compressionem paucis post horis prorsus evanuit. Chirurgus, qui acupuncturam applicat ex ipsius Cloquet sententia, cum in eo sit ut inserat acus, quamdam in

digitis tremitus sensationem experitur, haud secus ac ab electrica currenti produceretur. Quin immo si pars externa acus in musculo infixi tangatur, ille contrahitur, perinde atque curreuti voltaicae subjiceretur. Sed in acu punctura cum electricitate conjuncta, quae electro-punctura seu galvanico-punctura appellatur, alter ex conductoribus acubus infixis adplicatur, alter ab infirmo manu tenetur, seu polus zinci adplicatur uni acuum congeriei, et congeriei alteri procul locatae polus aeris.

His de modo, quo agit acupunctura, praemissis, uec non de morbis dynamicis, in quibus visum fuit eam adbibere et de ratione, qua perfici solet, nonnulli chirurgici casus in quibus eadem operatio praestita fuit, recensendi sunt. Nuper editi fuerint Londini duo casus ascitis hac curative methodo sanati. In parte abdominis inferiori quatuor vel sex acus perpendiculariter infixi sunt, qui usque ad peritonaei cavitatem pervenerunt. In loco seu puncto apparuit gutta sanguinea. Infixiones duobus sequentibus diebus repetebantur externe, regiones seu punctae oedematosae fiebant: adparebat serum subpositum et absorbebatur, in cujus locum alia fluidi quantitas succedebat. Ambobus in casibus imus venter decrescebat, et aegroti in pristinam valetudinem sunt restituti. Hujusmodi exitus felix jure sperandus esset, nisi ascitis ab organica laesione seu ab entero-peritonite penderet; haec enim tali infixione facilius exasperaretur. Quod si aegrotus ventre non laboret, et hydropis asthenici symptomata existant, tunc sperandum facili negotio est, fore ut sanitatem ex toto recuperet. Sed et eximius doct. Coen autumat hujusmodi operatio-

nem praecipue etiam in hydrothorace adplicari posse, in quo latiores rimae detrimento plerumque sunt, et erumpentis liquidi copia suffocationem aegroto minatur, dum e contra per has adeo minimas puncturas fluidum egrederetur, vitareturque aeris introductio quae hujusmodi in casibus maximum periculum affert; immo quemadmodum in casibus ascitis nuper prolatis, liquidum crumpens partim evacuari, et illud quod in cavitate remanet, absorberi facile posset. Etiam in anasarca hanc methodum ipsam adplicandam esse docet doct. Roche; sed babita puncturarum ratione, quas saepenumero maxima irritatio consequi solet, non possumus quin hoc in casu, ne erysipelas exsurgat, timeamus, cui latior gangraena eaque saepenumero letbalis succedit; ac proinde in extremis istiusmodi casibus, in quibus pars liquidi evacuanda sit, ad dolores aegri leniendos scarificationes et superficiales levesque incisiones, quae in bodierna praxi adhibentur, praeferendas esse jure existimamus.

Eidem curae methodo subjectum fuit hydrocele. Tumor non alio modo circumscribebatur, quam eo quo *trequarti* immergitur, ita ut duobus vel tribus acubus ad cavitatem perveniatur, quae serum continet. Aegroti in sua professione exercenda perseverabant, vespere scrotus oedematosus adparebat, spleniis aqua saturnina imbutis contegebatur, et tali pacto paucis post diebus in integram valetudinem restituti sunt. Quibus in casibus acupunctura non aliter operatur ac in injectionibus etc., quae inflammationem adhaesivam in vaginali excitare solent. Hac ratione doct. Coen haud difficulter explicavit rationem illam curationis cui omnem medi-

corum et chirurgorum operam voluerunt dari auctores Lexici Fabres. Immo ipse Coan methodum hanc penitius introspiciens, eam puerorum hydrocels sanandae, quae plerumque sponte succrescit, opportunissimam ratus est, quotiescumque hujusmodi hydrocele per se non evanescat, aut medicaminibus in interioribus subtractivis haud exterioribus adstringentibus et resolventibus adplicationibus obsistat.

Herniae carceratae acupunctura tractatae fuerunt. Ast quisnam doctus chirurgus spe felicioris exitus nixus hanc operationem suscipisit? Aleae periculosae plenissimam hanc praxim omnes existimant, quae ad vapores seu gas extendendos pungeret intestina, et numero admodum pauci sunt chirurgi, qui eam in casibus istis instituant.

Prof. Asthey-Cooper spinae-bifidae (hydro-rhachise) curationem acupunctura expertus est, et sanitate infirmum donavit. Animo tamen advertendum est, quod nec nimis voluminosus erat tumor, nec inferiorum membrorum, vesicae urinariae et recti intestini paralysis existebat, nec symptomata hydrocephalica adparebant. Celeberrimus Prof. subtilissimo acu usus est, et aliquoties operationem repetiit, donec in parietibus sacci adhaesivam inflammationem excitaret. Hoc ex febri vehementi, qua aegrotus illico afflictatus est, evidentissime patuit, qua superata etiam ipse tumor evanuit. Confer hac super re Memoriam ab ipso Cooper lectam Londini IV. idus Majas ann. 1811.

Abernethy in accessibus psoae ob congestionem acupuncturam adhibendam docet, qua in gangliorum cura se quoque usum fuisse testatur.

Boyer eam frigidis lymphaticisque tumoribus aperiendis opportunissimam dicit, qua ad aliquos tumores dubiae indolis explorandos uti possemus, potinsquam per trequarti laxiorem hiatum faciamus. Idam Coen utilem fuisse in callo incompleto fracturae rotulae acupuncturam asseruit; quin et in fracturis olecrani et calcanei ossei adhibendam docet; nec est cur hanc opinionem rejiciamus, dum nihil ad rem melius habemus. Tandem acupunctora ad aneurysmaticos tumores curandos opportunissima ducitur, per quam acu in saccum tumoris aneurysmatici infixo currentique galvanica eidem adplicata et sanguis coalescere et conglutinari, proindeque tumor cessare et evanescere facili negotio posset. Ingeniosa quidem, sed nondum ad praxim redacta hujusmodi doctrina fuit.

Velpeau primus fuit, qui per acupuncturam vas aneurysmaticum obliterandum opinatus est. Hujus in exterioribus aneurysmatibus periculum fieri posse, quin arteria detegatur, existimo. Quae uti utilior evadat, cum compressione conjungenda est. Sed prius dicendum nobis est quaenam ex his compressionibus, quae hodie adhibentur, praeferenda sit; dein quomodo ipsa compressivus modus possit in eodem loco acum retinere, copia chirurgo facta acus plus minusve inserendi. Ea est meliorum practicorum opinio, ut in comprimenda arteria modus compressivus, quantum fieri possit, in hoc tantummodo vase operetur, et in aliud punctum eidem ex diametro oppositum, ut in reliqua membri circumferentia circulatio fiat facilius, et cursus sanguinis in aneuryamate gradatim contineatur. Ad quam compressionem faciendam nonne prae ceteris instrumentis com-

modissimum et tutissimum est professoris Signoroni torcular? Hic compressor tamen aliqua in parte mutandus esset, ut in sua originaria actione tutior evaderet. In punctis ubi brachia *A. B.* ex scutis *C. D.* surgunt, addatur articulatio *E. T.*, quae liberum rotationis motum brachiis relinquat. Decem linais inferius alia articulatio fiat, ut dicitur *a terzo*, quae scuta plus minusve introflecti sinat. Rubinetum *G.* vitis aeternae foramen *H.* habeat, per quod transeat taenia, ut adcommodatis brachiis, quemadmodum in adplicationis methodo exponemus, scuta et brachia membro ipsi alligata firme remaneant. In scuto *C.* fiant octo vel decem foramina *LL.* per ambages disposita cum interna matrevite. Haec foraminum dispositio insuper permittit, ut acus in linea recta ponantur; immo ut duae linearum rectarum series habeantur, quarum pro opportunitate ant interior aut exterior eligi debeat. Nonnulli acus ex chalyba numero, crassitudine et longitudine discrepantes, quorum caput muniatur vite, quae recensitis foraminibus respondeat, instrumentalem apparatum perficiant, manubriumque *M.* introducendis extrahendisque acubus inserviat.

Veniamus nunc ad methodum adplicationis. Cognito aneurysmate et disposito per curam praeparatoriam aegroto longitudinaliter scutum *C.* adplicatur arteriae in regione aneurysmate affecta, seu potius eo in loco, quo juxta aliam methodum ligamen hunterianum fieret, et in parte ex diametro opposita scutum *D.* Ita adplicato instrumento per rubinetum *G* gradatim compressiones arteriae exercentur. Brachia supra membrum ponuntur, membroque ipsi variis

laemae orbibus alligantur. Postquam tali pacto cautum fuerit ut solide firmiterque, quemadmodum in amputationibus, applicetur instrumentum, et postquam iterum iterumque mutationes trunci arteriosi superioris et inferioris scuto, nec non regionum contiguarum observatae fuerint, proceditur ad acuum infixionem in foramina scuti *C.* per ambages vel in linea recta, successive vel invicem. Ad acuum numerum quod pertinet, ait Velpeau in sua Memoria quam legit in Academia Scientiarum Parisiis VI. Kal. Jan. ann. 1830, unus acus mihi visus est satis fuisse pro iis arteriis quae calami scriptorii volumen non excedebant, dum pro vasis duplo majoribus duobus tribusve acubus opus est, nihilque impedit quominus quatuor immo quinque acus pro arteriis maximi voluminis adhibeantur. Parum discriminis fore puto nisi vas aneurysmaticum detegatur. Idem Velpeau docet acus per ambages disponendos esse, sed quomodo tali pacto utilior futura sit operatio, nescio, cum e contrario facilior mihi videatur nervorum sociarumque venarum laesio quaecumque sit, quotiescumque majorem superficiem occupent. Ceterum si arteria nimis subtilis sit, pluribusque nervis venisque circumdata, exempli gratia, brachialis, quomodo ita disponi acus poterunt? Attamen utrique modo globus superius nominatus convenit. Acuum longitudo majori minorive arteriae profunditati respondeat, crassitudo autem communes acus, qui in acupunctura adhiberi solent, minime superet. Compressor acu munitus membro applicitus remaneat, donec vas obliteratum putetur; qua de re ut chirurgus certior fiat inversis orbibus rubineti compressionem laxabit. Sed ad coagulationem

sanguineam accelerandam opus ne est currenti galvanica? Si acus in ipsum saccum aneurysmaticum infigantur, electrica currens utilis erit, ut sanguis coalescat; sed si operatio in vase sano instituatur, iidemne effectus in sacco obtineri poterunt? Quod etiam si obtineri idem possit, cur opus erit ad hujusmodi negotium confugere, cum per hoc instrumentum arteria clauditur, atque hinc propterea sanguinis in sacco interrumpitur cursus, et sanguis ipse coalescit? Compressor ipse poterit diutius prophylactica de causa in eodem loco relinqui, et ab infirmo tolerabitur, quin directio scutorum eorumque actio premena mutetur. Nec hoc gratis asserimus; clarius enim evidentiusque patebit quotiea duplex brachiorum articulatio animo advertatur, qua de re certior factus sum repetito solins compressionis cum meis commilitonibus experimento. Id tamen curandum est, ut membrum aneurysmate affectum perfecta absolutaque in quiete remaneat.

At quinam erit modus quo haec compressio atque haec acupunctura mediate in truncum arteriosum agat? cursus sanguinis laxabitur, propterea quia circulus ejus quodam insensibili modo non autem celerrime fiet, quemadmodum in laquei usu contigere solet, et arteria opportunum sanguini tempus suppeditabit, quo tuto ac sine periculo unam aut plures vias sibi aperiat ad partes membri inferiores, talique pacto, ne gangraena fiat, erit impedimento. Tunicae vero arteriosae suas naturales relationes ita servantes tantisque circumstantibus optime protectae, nec in sua structura laesionem aliquam passae lacerari difficilius secarique poterunt, ideoque maxima ex parte haemorrhagiae consequentis periculum

evanescet Conferi hac super re Velpeau Tractatum de aneurysmatibus.

Reatat, ut etiam damna, quae inde ortum ducere possunt, perpendantur. Scio nervum pungi, scio venam arteriae sociam laedi posse, nec me latet rem admodum difficilem esse in arteriam nonnullos acus inserere, praesertim cum haec disco compressivo tegatur. At potestne tetanus cum febri traumatica confundi? Num phlebitis aliaque illius generis mala acupuncturam semper sequuntur? Num si unus aut alter acus in arteriam nequaquam infigatur, sed inseratur in alium textum, num majori damno erit infirmo quam latum quodcunque vulnus ad arteriam reperiendam separandamque inflictum? Verum donec hac de re atque hac de methodo opportuna instituantur experimenta, ex hujusmodi factis principiis deductionibusque nihil de acupunctura legitima consecutione concludi potest.

Nihil insuper obstat, ne iste compressionis atque acupuncturae processus varicibus etiam adplicetur. Quod cum fiet, et modica debet esse compressio, et quae satis sit solummodo ad acupuncturam retinendam. Ad varices curandas acupunctura usi sunt quidem Devat, Velpeau et Fricke ambo gensis.

Devat acum in mediam venae obliterandae partem inserit, eamque a facie superficiali ad faciem profundam, iterumque a facie profunda ad superficialem totam transfodit. Ubi acus ipsius acies ex altera parte prodierit, retinetur per filum, qui eodem modo disponitur, quo fieri solet in sutura tortili, ibique remanet usque dum venae parietes simul conjuncti in iis punctis, in quibus divisi fuerunt, inflammentur, immediatumque adhaesionem contrahant

In processu autem Velpeau acus oblique sub venam transit, cujus non feriuntur parietes, filoque ut in tortili sutura disposito fixus tenetur.

Frike amburgensis acu cavitatem venae perforat, in eamque setonem metallicum injicit, quo adhaesiva inflammatio gignatur.

Processus Velpeau prae ceteris periculo videtur carere, quem proinde et ipse amburgensis professor sequutus est. Cel. prof. Signoroni, quem honoris et maximae existimationis causa nomino, anno 1837 acupunctura itidem usus est ad nonnullas artuum inferiorum varices curandas, quibus quidam Marangoni afficiebatur; compressionem tamen addendam putavit.

Bonnet lugdunensis majorem acuum numerum juxta venae varicosae trajectum adplicandum esse affirmavit, utque adhaesionem magis probabilem redderet usum potassae causticae addidit.

His de acupuncturae historia breviter enunciatis, enumeratisque adplicationis medico-chirurgicae casibus, finem orationis meae statuo, quam idcirco tantummodo spero a commilitonibus meis lectum iri, quod maximi ponderis rem pertractat in eorum curationem morborum, quibus sanandis saepenumero ars medica inutilis fuit. Quae quidem acupunctura et raro hucusque adhibita est, nec satis ejusdem factum fuit repetitumque periculum. Qua de causa recentiores chirurgicas adplicationes indicare satius putavi, adducorque in eam spem, fore ut ars practica faciliorem tutioremque viam habeat ad complures morbos sanandos tali ratione patefactam.

Verum licet hic sermo imperfectus nec determinatus satis evaserit, praesertim cum de rebus quarum adhuc sub judice lis est, disputationem

susceperit, eas non omnino respuendas censui; ejusmodi enim sunt, quae desiderium, quo flagror, testari apertissime possunt, scientiae hujus cui studeo, quamque, vobis anspicibus, nunc primum lubens ingredior, attente diligenterque colendae.

THESES DEFENDENDAE

1. Rhachitis suis cum sequelis, praesertim in regionibus septentrionalibus occurrit.
2. Fieri non potest, quod ars medica semper humani corporis morbos vincere valeat.
3. In chlorosi attendendum est praecipue ad evolutionem organorum genitalium.
4. In ascite optima diuretica et cathartica.
5. Medicus altae meditationis et sedulae speculationis esse debet.
6. Febres accessionales, nisi legitimae sint, aut ab irritatione gastro-enterica, aut a chronica quadam phlegmatia aluntur.
7. Organicis morbis plerumque praeest causa disponens.
8. Feminae quo magis praestant ingenio, eo minus procreationi valent.